

.ii. OMELIA . IN .iii. DOMINICA ANTE NATALE DOMINI .

FActum est autem cum impleta essent omnia quę de aduen  
tu domini in carne temporibus praedicta per prophetas fuerant ;  
missus est iohannes praecursor domini parare uias eius in spiritu et uir  
tute heliq . dicente domino per prophetam . Ecce ego mitto an  
gelum meum . qui praeparabit uiam tuam ante te . et conuertet  
cor patrum ad filios . et cor filiorum ad patres eorum . Sicut et isa  
ias de illius persona dicit . Ego uox clamantis in deserto ;  
dirigite uiam domini rectas facite semitas dei nostri . quia qui post  
me uenit ante me factus est cuius non sum dignus corrigiam calcia  
mentorum eius soluere . Quapropter alibi dicit . Me opor  
tet minui ; illum autem crescere . quomodo autem potest minui  
iohannem et crescere christum . nisi ut iohannem quem christum esse pu  
tabant unum esse ex prophetis crederent . et christus que unum  
ex prophetis esse estimabant . dei filius esse crederetur .

Praemissus est ergo iohannes ante christum . uelut uox ante  
/6r/ uerbum . lucerna ante solem . praeco ante iudicem . seruus  
ante dominum . nuntius ante regem . amicus ante sponsum . Qui ideo  
uox ante uerbum dicitur . quia ipse uerbi dei spiritu p̄edicare populo  
replebatur . dicente domino . Dedi té in lucem gentium et prophe  
tam in populis . ut sis salus mea usque ad extreum terre .

[.ii.]<sup>1</sup> Post haec igitur ubi plenitudo temporum aduenerat . misus  
gabriel archangelus a deo in ciuitate nazareth . uerbum annun  
tiare ad mariam uirginem despensatam ioseph . Et ingres  
sus ad eam dixit . Aue maria gratia plena . dominus tecum . bene  
dicta tu inter mulieres . Quę cum audisset turbata est in  
sermone eius . et cogitabat qualis esset ista salutatio . Time  
bat enim . de nouitate uerborum . quę audierat et terrebatur ;

ad quam placide angelus . ne timeas inquit maria . inue  
 nisti enim gratiam apud deum . Ác sí dixisset . Ne ad conspectum  
 meum mater domini mei terrearis . sed magis gaudeas de qua  
 rex caelorum processurus est et angelorum . [.iii.] Ego enim concep  
 tionis tuę minister adueni . Ipse me misit ad te . qui est  
 nasciturus . ex te . Ipse tibi per me annuntiat gladium . cui placuit  
 in utero tuo cum humana misticum sociare coniugium . Ecce  
 concipies et paries filium . et uocabis nomen eius iesum . Conci  
 pies enim non de uirili coitu . sed de spiritu sancto . Et paries . id est  
 sine dolore . Et uocabitur iesus . quod latine saluator exprimitur .  
 Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum . Hic erit  
 magnus et filius altissimi uocabitur. Et dabit illi dominus deus  
 sedem dauid patris eius . et regnabit in domo iacob in eternum .  
 et regni eius non erit finis . Ideoque et tu ne timeas maria .  
 sed abice ex te omnem metum . quę seculi conceptura es gau  
 dium ; non cuius libet meriti hominem . sed totius seculi saluatorem .  
 /6v/ Reuolue ergo maria . reuolue `pro'pheticam lectionem . neque enim  
 preterire te scientia diuinorum potest librorum . que ipsam plenitudi  
 nem paritura es prophetarum . Recole in libro isaię prophetę uir  
 ginem quam legisti . et gaude quia tu esse meruisti . tu enim ibi  
 præsignata es uirgo . De qua procederet gaudium mundo . [.v.] Dixit  
 autem maria ad angelum . Quomodo fiet istud quoniam uirum inconcipi  
 endo non pertuli . Ác sí dixisset . Immunis enim sum a marito . quoniam  
 uirum<sup>1</sup> poenitus non cognosco. Desponsata autem  
 sum homini iusto . si cum illo non conuenero . UNde erit quod ge  
 nerabo . sed si potest fieri . ut concipiam intacta sine uiro .  
 et uirginitate custodita . generem clausa . indica modo . et ibi  
 paratum . consentire inuenies cor meum . Omnibus enim modis opto  
 oboedire domino et deo meo `ne' perdam pudorem . Gabriel autem ar  
 changelus ad haec dicta gaudens . mox refert modum concep

---

<sup>1</sup> uirum] MS uirum ~~in~~<sup>ne</sup>concep*iendo*

tionis ei dicens . Ó maria . uirgo dei . sponsa dei . dilecta dei . fa  
 mula dei . mater dei . [.vi.] Si hunc a me modum requiris . quomodo  
 fiet istud . Ego tibi reuelabo . uirgo concipies . uirgo paries .  
 et uirgo post partum permanebis . Spiritus enim sanctus superueniet in te .  
 et uirtus altissimi obumbrabit tibi . Ideóque et quod nascetur  
 ex te sanctum . uocabitur filius dei . Et aliut tibi mirabile expli  
 cabo signum . quod contra humanam contigit naturam . Ecce enim  
 elisabeth concepit filium in senectute sua . et hic mensis est  
 sextus illi . quę uocatur sterilis . Hoc autem factum est ut credas .  
 quoniam nihil impossibile est apud deum . Maria autem in corde  
 suo omnia haec considerans . dixit ad angelum . Ecce ancilla  
 domini . fiat mihi secundum uerbum tuum . Mox igitur angelus accepto uir  
 ginis consensu . ad regionem unde uenerat gaudens remeauit  
 caelestem . [.viii.] Et ecce subito secretum uirginis . ineffabili potentia  
 /7r/ intrauit artifex mundi . et qui terra mari caelóque non capitur ;  
 intra unius uirginis membra concluditur . et ab infirmitate  
 benigne portatur . Post haec autem exsurgens maria . uenit  
 cum festinatione in ciuitatem iuda . et intrauit in domum zacharię .  
 et salutauit elisabeth . Et factum est ut audiuit salutationem  
 marię elisabeth . exultauit infans in utero eius . Et repleta  
 elisabeth spiritu sancto . exclamauit uoce magna et dixit . Benedicta  
 tu inter mulieres . et benedictus fructus uentris tui . Ecce enim  
 ut facta est uox salutationis tuae in auribus meis . exultauit  
 in gaudio infans in utero meo . Beata es uirgo maria . quoniam  
 perficiuntur in te quę dicta sunt tibi a domino . Et ait maria gaudens .  
 Magnificabo igitur dominum meum . et spiritus meus exultauit in deo salu  
 tari meo . quia respexit humilitatem meam . et inter omnes exal  
 tare me dignatus est nationes . Gaudere igitur nos oportet  
 cum maria fratres karissimi . et ornari ad aduentum domini saluatoris mundi .  
 [.ix.] Laetemur ergo et excitemus corda nostra . ad preparandas  
 unigeniti dei uias . preparemus nosmetipsos fortiter . per christi ad

iutorium . Ab omni luxuria carnis abstinentes . et bonis operibus  
fulgentes . ut simus castitate nitidi . caritate splendidi . eli  
mosinis mundati . simplicitatis gemmis . et sobrietatis floribus  
adornata . ad solemnitatem regis aeterni . Ut haec autem omnia  
implere ualeatis fratres karissimi . iracundiam odium et inuidiam .  
cum omni malitia . de cordibus uestris tamquam uenenum respuere  
debetis . et castitatem plurimis diebus ante solemnitatem . etiam  
cum propriis uxoribus conseruare . Ad uigilias uespertinales uel  
matutinales conuenire . et in templo dei cum humilitate et si  
lentio uenire . et in aecclesia stantes orare . Aut psallere nomi  
ni domini altissimi . Verba otiosa aut secularia ex ore non proferre .  
/7v/ et eos qui proferre voluerint . etiam cum seueritate castigare .  
pacem cum omnibus habere . et quos discordes inter se agnoscatis .  
ad concordiam reuocare . Et si haec fideliter christo adiuuante  
volueritis implere . tunc ad altare domini cum secura conscientia  
ad percipiendum sacrosanctum corpus et sanguinem christi poteris acce  
dere . et in futuro seculo ad aeternam beatitudinem feliciter perue  
nire ; Ipso adiuuante qui uiuit et regnat in secula seculorum . amen .

<sup>1</sup> The lection numbers set in the margins alongside this sermon are difficult to follow since three are partly buried in the gutter (.ii. at 6r6 left margin, .iii. at 6r16 left margin, and .ix. at 7r16 left margin), and the scribe has also skipped a couple, omitting .iv. and .vii.